



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Aliae ad Oliuerium Manaraeum. nu. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1605. maro. Ex ædibus nostris Episcopilibus. 11. Cal. Aprilis 1607.

I X. Patri verò Oliuerio breuioribus his, sed non minori cum ardore rem commendat his verbis.

Admodum Reuerende & Amantissime in Christo Pater. Sperabam nos aperte proponere posse Serenissimæ suæ Celsitudi. Incorporationem Præposituræ nostræ VVatenensis pro Societate ad conuersionem Angliae laborante, præsertim cum ipsem Sanctissimus, itemque Reuerendissimus Pater Generalis ita alacriter & serio eam in rem incumbant: quia tamen Reuerenda Pater. Vestra credit quietius & facilius rem totam transfigi posse lib. titulo Societatis, libenter sequor prudentissimum eius consilium, vt ex adjunctis literis meis constat. Modò enim deinde cedat Patribus Societatis destinandis in Angliam, ad hibeatur quicunque prætextus. Afflictissimum Angliae regnum commendo Reuerendæ Vestrae Patr. vt animam meam, licet sciām fuisse & esse commendatissimum. Quæso experiar in hac re me catum esse Parri meo Oliuerio, quem Deus plures adhuc annos conseruet in hac vita, ad solatium omnium nostrum, & vt visitet & disponat hoc opus suum Watenense ad infinitam Angliae Messem, sitque hoc primum Collégium Angliae propè Angliam quasi erectum à Patre Oliuerio, quod multa deinde Societatis Collégia in ipso Anglia regno ædificanda excipient. Commendo me Sanctissimis Reuerendæ Vestrae Paternitatis Sacrificijs & orationibus. Audomaropoli ex ædibus nostris Episcopilibus, 27. Martij. 1607.

X. Ad Francicum etiam Flerontinum Prouinciale eodem tempore, singulari quodam candore animi sensum suum explicat in hunc modum.

Admodum Reuerende in Christo Pater.

Si mihi compluribus ab hinc annis tantum lumen de Societate dignatus fuisset Deus infundere quantum hodie cogor ei acceptum ferre, nunquam existimo in alia quam in Societatis veste ambulasse. Quod dico non pertinet vocationis meæ, sed Societatis heroicis pro Ecclesia labores & post labores mercedem saepe mecum ipse perpendens: Vnde fit ut toto affectu in eos ferar, & pro Christo laborantibus compatiar, ijs prælertim qui quasi pro antemurale stantes Aduerstarijs etiam vlique ad sanguinem coguntur resistere. Hinc certè qui de Societate laborant in vinea Anglicana, quam ita depaupratus est inimicus, vt (quamdiu in Patria sua nequirint) prope patriam vineamque suam saltem degant, haec tenus ut scit Reuerenda Paternitas Vestra vna adlaborauimus. Accedit propensissimus in id fauor suæ Sanctitatis, qui suis ad me literis excellenter declarat quantopere cupiat tam utiles pro Anglia operarios opportuno loco constitui, ac nominatim in Præpositura nostra Watenensi. Idem suis literis testatur Reuerendissimus Pater Generalis, qui rem serio commendasse se scribit Reuerendo Patri Oliuerio, vt cum Reuerendæ Vestrae Paternitati maturum tempus videbitur agat cum Serenissima sua Celsitudine: Speramusque facturum libenter, & cum ea propensione ac dexteritate qualiuanter & efficaciter à Serenitate sua impetratura sit quod

pro